

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Jakob Carpol

Illustrationis Apologeticæ Peccati In Spiritvm Sanctvm Adversvs Iohannem Engestroem Svecvm ...

Specimen Sextvm : De Satisfactione Christi Pro Illo Et Pro Apistia Finali

Vinariae: [Iohann. Adam. Melchioris Vidua], MDCCXLVIII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862636035>

Band (Druck)

Freier



Zugang



381

a. B.

48. b. 8.

14-

Fa-1092 (14)

ILLVSTRATIONIS APOLOGETICAE
PECCATI
IN SPIRITVM SANCTVM
 SPECIMEN SEXTVM
 DE
 SATISFACTIONE CHRISTI PRO ILLO
 ET PRO ANIESTIA FINALI



FORAS DATVM


A

IACOBO CARPOVIO

ILL. GYMNASII VINAR. DIRECTORE MATHEM. P. P.
 REGIÆ BEROLINENSIS SOCIETATIS SCIENTIARVM
 COLLEGA.



VINARIAE M DCC XLVIII.



SATIRAGIONE CHRISTI PRO LITO
LECTORI
VERITATIS ÆSTIMATORI
SOBARIO

JACOBO CYPRIANO.

II. GYMNASI ANNI. I. LECTORE MATHEM. P. T.
REGIE BEROLINENSIS SOCIETATIS SCIENTIARUM
COLLEGE.

Auctor per-
sequitur
vindicias
aduersus
Engestroe-
mum,



Quam bene Plinjus Epistolarum lib. 7. ep. 17. dixerit:
*Cogito, quām sit magnum, dare aliquid in manus
hominum, eius in hac ipsa Illustratione Apologetica
experimentum cepi.* Cum enim in eo iam sim, vt
doctrinas Theologiae Reuelatae, a Ioh. Engestroemio,
Sueco, in *Diss. de satisfactiōne Christi pro pec-
cato in Spiritum sanctum* oppugnatas, partim vberi-
us illustrem, partim ab iniquo impetu defendam: vix ad dimidiam par-
tem hoc labore perduto, auctor aliquis anonymous prioribus illustratio-
nibus huic specimenibus bellum induxit. *Observationibus de peccato in
Spiritum sanctum*, proximo anno editis, id sine dubio propositum sibi
habens, vt legitime consummando operi obicem ponat, meque ab ultima
manu vindiciis libri mei imponenda reuocet. Quoniam vero di-
mittere adgessorem, qui nomen suum professus est, et litem contesta-
ri

ri cum lucifuga, mihi & que alienum visum est, ac mancas relinquere vindicias inchoatas nouarum suscipiendarum causa, dedecet: nil ego interpellationes anonymi in praesentia moratus, data noua scribendi occasione, in persequendis vindiciis, Viro S. R. Engestroemlo oppositis, operam studiumque ponam.

II.

Tribus ab Engestroemio propositis controversiae momentis, uno, cum peccatum in Spiritum sanctum inchoatum aliud, aliud consummatum esse, docui; altero, cum satisfactionem a Christo pro ~~terris~~ finali et peccato in Spiritum sanctum consummato praestitam fuisse, negau; tertio, cum doctrinæ meæ aduersus se ipsas præliari ipsi visæ sunt (Spec. I. §. 9.): primum momentum discussi primo, secundo, tertio specimini bus; ad alterum autem progressurus, specimine quarto diuersitatem legis fidei et operum, specimine quinto vero duplicitis satisfactionis Christi finem duplificem, tanquam ante ponendas doctrinas, ab obiectis inanibus defendi. Consequens est igitur, ut ipsum momentum disceptationis alterum iustificationi iam submittatur. In qua difficulti et spinosissima doctrina versabor ita, ut primo sententiam meam exponam, deinde argumenta, quibus in Theol. Reuel. Tomo II. §. 395. usus sum, repetam, eaque notis augeam, tum argumenta contraria Engestroemiana sub examen reuocata refellam, denique argumenta mea ab eo, quod contra est dictum, vindicem.

III.

Ut autem rectius id, de quo disputamus, intelligatur, ante ponenda sunt momenta sequentia:

*Quenam in
bac contro-
uersia ante
ponenda
sint?*

1. Lex operum, quæ in decalogo continetur, differt a lege fidei, quæ homines peccatores iubet in Christum credere (Spec. IV. §. 7. seqq.).

2. Legem operum, quæ in principio sola data erat hominibus, homo transgressus est per lapsum, ulteriusque peccando transreditur.

3. Ob transgressionem legis operum homo tam in hac vita, quam post eam, poenæ diuinæ, quæ verbo unico *maledictio* dicitur, obnoxius est Deut. XXVII. 26, expers ita salutis æternæ existens.

R 2

4. Deus

23.

24.

25.

26.

27.

28.

29.

30.

4. Deus, homines miseratus, Christum redemptorem misit, qui sustineret poenam, ab hominibus meritam, ut damnationem possent effugere, et qui praestaret legi operum obedientiam perfectam, ab hominibus praestandam, ut salutis compotes redderentur, certe ut reddiqueant. Hic enim est passio et actio satisfactionis Christi vesus et finis (Specim. V. §. 2. seqq.).

5. Quamuis sic vero omnibus hominibus via damnationis effugienda et consequenda salutis aperta sit; ipsa tamen negotii natura postulante (Theol. Rev. T. II. §. 50-60.), in substitutione Christi pro hominibus Deus hanc simul conditionem adiecit, ut quisquis e reatu damnationis, cui subest, eludatur actu et saluari vult, credat promissionibus diuinis de salute per Christum consequenda, et cum fiducia Christum, ut unicum salutis fontem et redemptorem, adprehendat; cum ex aduerso super illum, qui non credit Filio, maneat ira Ioh. III. 36, cui secundum statum naturae suberat Eph. II. 3, et quae, homine ex hac vita decadente, ipsam damnationem post se trahit.

IV.

Christus satisfecit pro aetate temporaria,

sed non pro finali;

id quod confirmatur argumento primo,

Ita iam vero quaestio nascitur difficilis: *an, veluti pro omni transgressione legis operum Christus satisfecit, sic etiam satisficerit pro eo, qui spreta fidei conditione, Christum salvatorem, salutemque, in illo oblatam, negligit, aut repudiat, quatenus hic est talis, b. e. an Christus pro aetate satisficerit et ut altius res repetatur, an Deus voluerit, ut pro aetate satisfactio Christi valeat?* Cui quaestioni satisfactus, distinxii inter aetatis temporariam atque finalem, de temporaria concedens, negans de finali. Etenim cum aetatis temporaria remissionem homo, accedente penitentia, impetrat, nec tamen Deus remittere peccatum sine satisfactione possit, nec alia pro peccatis hominum satisfactio, nisi quam Christus praestit, adsit: fit, ut pro ista satisfactio a Christo praestit; id quod demonstravi loco debito (Th. Rev. T. II. §. 394.). Econtrafatio si homo ad ultimum usque vitæ momentum Christum salvatorem negligat, atque salutem, in illo oblatam, repudiet, pro tali aetate finali satisfactionem a Christo non praestitam fuisse, et quod ex hoc fluit, non voluisse Deum, ut satisfactio Christi pro illa valeat, duplice argumento confirmavi. Prius se habet ita Th. Rev. T. II. §. 395: *Pro transgressione finali legis fidei, i. e. pro incredulitate finali Christus non praestit satisfactionem, puta passionem, quia actiuam hic, ut paulo ante (§. 394.), non in censum venit.* Fingamus enim, Christum satisfactionem pro

841

āmī finali præstisſe. Cum quisquis ad vitæ finem incredulus est, damuetur (§. 60.), vt adeo ob incredulitatem suam finalem ipse satisfactionem passuam Deo debeat præstare (T. I. §. 14.), duplii Deus pœna; sc. et in Christo et in homine ipso, incredulitatem finalem punit, eaque æquali peccato. Damnatio enim, quam homo finaliter incredulus subiit, ob durationis infinitatem (T. I. §. 148.) æqualis est peccato incredulitatis finalis, quatenus hoc grauitatem infinitam habet (T. I. §. 137.); damnationi autem protensue infinitæ æqualis est passio Christi intensue infinita (§. 385.). At duplii pœna peccato æquali idem peccatum punire, iustitia Dei infinitæ repugnans est, gradum pœnae æqualem peccati gradus semper postulanti (T. I. §. 699.). Christum igitur pro ænsia finali satisfactionem passuam præstisſe, a veritate alienum est. Vel ut aliter rem proponam, aut hominem incredulum finaliter ob suam incredulitatem damnari, aut Christum pro incredulitate hominis finali præstisſe satisfactionem, negandum est. At prius, salua veritate S. Scriptura, negari nequit (§. 60. Sch. 1.). Quam ob rem non satisfecisse Christum pro incredulitate finali, certum est. Alterum autem argumentum expediui 1. c. ita: *Quin immo ex ipsa fidei indole alia ratione hoc perspici potest. secundo;* Satisfaction Christi, intuitu transgressionis legis operum pro hominibus præstata, in se est homini factum physice alienum, nec hinc ei imputabile ad salutem; quo circa, ut imputabile ei reddatur, opus est, ut per fidem ipsi fiat moraliter proprium (§. 60. Sch. 1.). Enim vero si Christus pro incredulitate finali satisfecit, eo ipso voluit efficere, ut factum homini et physice et moraliter alienum tamen per imputationem fauorabilem in salutem cedat; quod sanæ rationi repugnans est. Nam factum et physice et moraliter nobis alienum nullo modo potest nobis imputari, nisi in ipsam imputationem immediate consentiamus (Tr. noster de Imput. §. 185.), qui ultimus vero casus in negotio hoc non habet locum (§. 60. Sch. 1.). Pariter igitur non satisfecisse Christum pro incredulitate finali, saluum manet. Quibus deinde loca Scripturæ, præcipue autem effatum Paulinum Hebr. X. 26 - 31, subtexui, aliud euidentissimum Scripturæ dictum loco debito additur.

V.

tertio,

Liceat his duobus argumentis adiungere tertium, quod ita instruo:
 1. Christus satisfecit tantum pro peccatis, quæ homines committunt in hac vita. Vnde argumentum? Propositio data exclusiva continet duas:
 1.) Christus satisfecit pro peccatis, quæ homines committunt in hac vita;

R. 3

2.) que-

2.) quæcunque peccata homo non in hac vita committit, pro illis Christus non satisfecit. Priorem concedis, arbitror, quemadmodum ista exploratæ veritatis est. Posterioris igitur probationem accipe per soritem Goclenianum: *Quandounque homo non amplius saluari potest, eatenus Christus pro peccatis eius non praestitit satisfactionem.* Nam Christus pro peccatis hominum præstitit satisfactionem eo fine, ut homo peccator saluetur, certe, ut saluari possit; sed fine cessante, cessat medium. *Quandounque homo peccator non amplius credere potest, non amplius saluari potest,* quia homini peccatori non alia est salutis via, quam fides. *Quandounque homo non amplius in hac vita versatur, non amplius credere potest,* quia fides ad hanc vitam pertinet. Ergo quandounque homo non amplius in hac vita versatur, eatenus Christus pro peccatis eius non satisfecit; vel quod perinde est, quæcunque peccata homo non in hac vita committit, pro illis Christus non satisfecit. Et quia homo, quam diu in hac vita versatur, viator dicitur, sequitur porro, ut quæcunque peccata homo committit non amplius ut viator, pro illis Christus non satisfecerit. Quo sic se habente, vera est proposition: *Christus satisfecit tantum pro peccatis, quæ homines in hac vita, vel quod perinde est, quæ homines, ut viatores, committunt.* Visne dictum Scripturæ? Ps.XVI, 2.3. dicit Messias patri: *bonum meum non est propter te, h. e. priuatus sum felicitate, et patior, te sic volente, נְשָׁרֶבֶת אַרְחֵה פְּנֵי,* h. e. pro sanctis, qui in terra sunt, hoc est, qui in hac vita versantur. Taceo, ipsum dissentientem Dissertationis p. 105. principium dictum concedere, dum dicit: *Dum Iohann Ludwig Würffel contendit, prout et vidimus §. 6. Christum satisfecisse pro peccatis viatorum tantum, hancenus rite incedat, neque enim aliis in Theologia via, quæ nobis est reuelata, veniunt in censum.*

2. Subsumo iam: *אַתִּסְיָה finalis non est peccatum, quod homo committit in hac vita, vel, quod perinde est, ut viator.* Etenim *אַתִּסְיָה finalis est אַתִּסְיָה, quam homo ad mortem usque naturalem continuat* (Spec. I. §. 7. n. 10. 11.); quocirca homo *אַתִּסְיָה finalis* committit, dum in *אַתִּסְיָה* moritur, commisit autem, si in illa mortuus est. At siue hominem, ut in ipso mortis momento iam positum, siue ut iam vita fundum, species, non amplius in hac vita versatur; non posterius, quod ex oppositione patet vita mortisque; nec prius, quia momentum mortis est transitus ex hac vita in æternitatem, adeoque medium intercedit inter utramque ita, ut homo in eodem nec viuus amplius, neque iam mortuus, sed tantum moriens possit dici. Et quoniam sic *אַתִּסְיָה finalis non est peccatum,* quod

quod homo committit in hac vita, nec amplius is est viator, qui illam committit (n. i.).

3. Concludo igitur, pro *āxīsia finali* a Christo satisfactionem praestitam non fuisse.

VI.

Audi etiam, si tibi graue non fuerit, argumentum aliud:

Pro quocunque peccato homo non potest amplius poenitentiam *quarere*, agere, pro illo Christus non satisfecit.

Nam eo fine satisfactio pro peccatis a Christo data est, vt, intercedente poenitentia et fide, homo remissionem accipiat et saluetur, certe ut eam accipere et saluari possit.

Atqui pro peccato, quod homo committit, dum moritur, et commisit, simulac mortuus est, non potest amplius poenitentiam agere.

Nam momentum (dico: momentum) mortis nimis est paruum, quam vt in eo fieri possit, quidquid ad mentem, alienam a Deo Christoque, ad eum conuertendam pertinet; ne dicam, in momento mortis vi corporis quaestata, mentis vires sic fractas esse, vt ne quidem ad id, quod conuersio postulat, possit attendere. Exemplum cruciarii Luc. XXIII, 42. opponis frustra. Nam non nego, vltimis vitæ horis, vel, vt plus dem, momentis hominem conuerti posse; nego, posse adhuc conuerti illum, qui usque ad nouissimum momentum, illudque, quod inter vitam et æternitatem medium intercedit, mansit non conuersus. Post mortem autem non amplius locum esse poenitentiae, quæ de peccato, in ipsa morte commisso, agatur, in promptu est Hebr. III, 7. Eccles. XI, 3.

Ergo pro peccato, quod homo committit, dum moritur, et commisit, simulac mortuus est, Christus non satisfecit.

Conclusione hac, vt noua maiore, adsumpta, subsumo iterum:

Atqui *āxīsia finalis* est peccatum, quod homo committit, dum moritur, et commisit, simulac mortuus est.

Nam *āxīsia* est finalis per hoc ipsum, quod homo usque ad ultimum vitæ momentum in illa perseverat (Spec. I. §. 7. n. 10. II.). Habes igitur:

Ergo pro *āxīsia finali* Christus non satisfecit.

VII.

Verum enim vero Vir S. R. Engestroem nil argumenta mea moratus, *mii pro sen-*
Christum satisfactionem pro incredulitate hominum finali praestitisse Deo, *tentia con-*

*Argumenta
Engestroe-
tue-traria.*

tuetur, nec tantum rationes qualescumque pro sua sententia in medium adfert, sed etiam exceptionum arietes argumentis meis admoet. Con-
gessit autem argumenta sua, Diff. cit. §. 9. p. 65. locutus ita:

*Si satisfactio Christi pro omnibus omnium hominum peccatis, vi
dictorum Scripturae, allatorum §. 6. sub initium, est praesita;*

*Si nulla datur lex fidei, proprie sic dicta, que legi operum oppo-
nitur, quin ipsa potius incredulitas, utpote transgressio legis moralis,
ab hac ipsa lege et arguatur, et damnetur, secundum disputata §. 7. et
unumquodque peccatum tollitur satisfactione Christi et actua, et pass-
sua, prout ostensum est §. 8;*

*Si et nec tō finale, utpote connotationem tantum temporis, quo
se actua exserit, denotans, ingreditur essentiam peccati incredulitatis,
quemadmodum id §. 3. 4. 5. demonstrauimus; sequitur necessario, fru-
stra ex datis hoc tenus propugnare Virum Cl. pro neganda satisfactione
Christi pro peccato incredulitatis finalis.*

In quorum membro primo dum ad Dissertationis §. 6. dictaque Scri-
pturæ, ibi aduersus me excitata, prouocatum est, ne quid usquam dis-
simulare videatur, ipsa verba Engestroemii e §. 6. p. 44. 45. enarrare
expedit. Ita autem ille: *Grauissimum Vir. Cl. cum suo sectatore hic
errorem admittit, ex quo questio universitatē meriti Christi tan-
git, qua fundamentum ingreditur fidei. Scriptura sacra, quæ prin-
cipium cognoscendi est Theologie Viatorum, ita loquitur: Agnus Dei
(Christus) tollit peccata mundi Ioh. I, 29. Ipse (Christus) est propitiatio
pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mun-
di I. Ioh. II, 2. Sicut per unius transgressionem (mors) in omnes homines
in condemnationem: ita et per unius iusticiam (gratia) in omnes homines in
iustificationem vitæ Rom. V, 18. conf. I. Ioh. IV, 14. Tit. II, 14. Esa. LIII,*
6. *Inde et Beatis Confessores in Aug. Confess. Art. 3. abusuum de Missa*
pag. 26. ed. Lips. 1626: *Passio Christi fuit oblatio, et satisfactio, non
solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis. Iam vero,
sue ^{κοσμο} Ioh. I, 29. I. Ioh. IV, 14. pro omnibus hominibus sumserit
secundum Ioh. III, 16. prout necesse est; sue pro infidelibus ex opposicio-
ne, que est in dicto I. Ioh. II, 2. non poterit non sequi, satisfactionem
Christi pertinere ad omnes omnino homines secundum Rom. V, 18. et
ad omnem iniquitatem secundum dictum Tit. II, 14. Utique haec ha-
cenus conciliari cum allatis secundum Carpouium prorsus, et omni-*

no nequeunt, nisi vel ex ipsa Scriptura sacra, vel ex analogia fidei, legitime inde deducatur, exceptio ista probetur, quam inserta contra tenorem dictorum allatorum Cl. Carpol. cum Sectatore suo, praesertim, cum ipsem Vir. Cl. recte docet ex dicto Ioh. XVI, 8. -- 12, incredulitatem esse peccatum, Tom. II. §. 390. Schol. pag. 329. 330.

VIII.

Ego vero miror, Virum S. R. concertationem inire, non firmo. Responso ad
argumen-
tum pri-
mum.
ribus argumentis armatum, quia in tam graui concertatione ad viuum me omnia refecturum esse, praeuidere facile poterat. Nam quod attinget ad primum membrum:

Si satisfactio Christi pro omnibus omnium hominum peccatis est praestita, vi dictorum Scripturæ allegatorum, eadem facta est pro peccato incredulitatis finalis;
distinguo primo inter peccata, contra legem operum, et legem fidei commissa; quæ peccatorum diuersitas non potest non concedi, postquam utriusque legis differentia tam firma est, ut nullo labefactari argumen-
to contrario potuerit (Spec. IV. §. 7. seqq.). Limitato igitur syllo-
gismo:

Si Christi satisfactio pro omnibus omnium hominum peccatis contra legem operum praestita est, sequitur, ut satisfactio Christi praestita sit quoque pro peccato incredulitatis finalis;
nego consequentiam, quia incredulitas finalis est proprie transgressio le-
gis fidei.

Si Christi satisfactio pro omnium hominum omnibus peccatis et contra legem operum et fidei praestita est, sequitur, ut praestita sit quoque pro incredulitate finali;
nego antecedens, quia pro peccato contra legem fidei, ad vitæ finem continuato, praestita non est. Deinde suppetit etiam distinctio alia, fa-
cta simul syllogismi limitatione, proponenda:

Si satisfactio Christi pro omnibus omnium viatorum peccatis est praestita, sequitur, ut pariter praestita sit pro peccato finalis;
nego sic consequentiam, quia peccatum finalis tale est, ut dum homo illud committit, non amplius viator sit. Committit id enim in momento mortis, et commisit, simulac ex hac vita excessit; sed utriusque ratione habita, non amplius viator est, quia viator dicitur homo, quam diu in hac vita versatur (§. 5.).

S

Si

17

23

21

2

2

2

2

30

Si satisfactio Christi pro omnibus omnia hominum, siue adhuc viatorum, siue non amplius viatorum, peccatis est praestita, sequitur, ut pariter praestita sit pro peccato *āxīsias* finalis; nego antecedens. Nam pro peccatis hominum viatorum tantum Christus satisfactionem praestitit (§. 5.). Vides igitur, vniuersalitatem satisfactionis Christi me non negare, sed recte explicare. Fateor enim, Christum satisfecisse pro omnibus peccatis, quæ usquam committuntur ab hominibus, vt viatoribus; quo adserto, via salutis omnibus aperta est, vt saluari possint. Salua autem vniuersalitate ista, pro iis, qui non sunt amplius viatores, et ad quos propere non amplius pertinet fides atque conuersio, nego, eam factam esse; quemadmodum ipse Engestroemius vniuersalem, docet, esse satisfactionem Christi, licet pro peccatis damnatorum, vt talium, eam factam esse, neget Diss. p. 105.

IX.

*et ad loca
Scripturae
opposita.*

Præmissis his atque notatis, omnium locorum excitatorum nullus est, qui sententiam meam destruit; quod per singula eundo, ad liquidum perducam. Etenim

1.) *Christus est agnus Dei, tollens peccata mundi* Ioh. I, 29. Sed quænam? An etiam peccatum id, quo ipse Christus cum salute parta ad finem vitæ usque reicitur? Neutquam. Nam qui non credit filio, et in *āxīsiā* hac constanter perseverat, super illum manet *ira Dei*, cui subest Ioh. III, 36. Eph. II, 3, adeoque peccatum eius non est sublatum. In hoc si non adquiescis, auditequentia. Christus tollit peccata mundi. Quæro: quid hoc loco mundum intelligas? Si homines intelligis viatores, quippe qui debent intelligi, cadas causa, quoniam ex eo, quod Christus peccata hominum viatorum fert, eum satisfecisse pro incredulitate finali, non sequitur. Nam incredulitas, vt finalis, non est peccatum hominum viatorum, sed committitur in momento mortis, et post mortem commissa est (§. 5. n. 2.). Sin mundum significare etiam homines non amplius viatores, censeas, postulo demonstrationem; qua non data, locus in se optimus nil probat contra me. Quodsi vero dare eam sustineas, pro peccatis damnatorum, vt talium, satisfecisse Christum, tibi adserendum est, reuocata propositione, quæ p. 105. concessa est: *Christus satisfecit pro peccatis viatorum tantum.*

2.) *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, nec tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi* I. Ioh. II, 2. Sed quam responsionis viam calcaui paullo ante n. 1, eadem iam rursus incedo. Totus mundus significat omnes homines viatores; pro horum peccatis quibuscumque

que Christum propitiationem esse ita, ut omnes possint saluari, si velint, credo, defendo, doceo; nego, recte inferri inde, quod pro *anxieta* finali propitiatio factus sit, quia quisquis hanc committit et commisit, is non amplius viator est (§. 5. n. 2.).

3.) Δι ιησούς (Christi) δικαιωταρος τε πάντας ἀδερφῶν; εἰς δικαιον τοῦ Rom. V, 18. τὸ δέκατον v. 16, h. e. satisfaction Christi actua cedit omnibus hominibus in salutem ita, ut salus omnibus per illam adquisita sit. An ex hoc sequitur, pro *anxieta* finali a Christo satisfactionem passiuam præstitam esse? Nego. Est enim salus omnibus adquisita, sed adpli-canda sub fidei conditione; pro cuius defectu finali Christum præsticisse satisfactionem, neutiquam inde sequitur.

4.) Pater misit filium saluatorem mundi i. Ioh. IV. 14. Optime. Sed est saluator mundi, licet non satisfecerit pro *anxieta* finali. Per hoc enim saluator mundi est, quod maledictionem abstulerit, et vitam æternam hominibus peccatoribus adquisuerit, sub conditione fidei finalis obtinendam; ex quo, eum pro *anxieta* finali satisfecisse, nequaquam se-quitur. Vel vt aliter dicam, mundus significat viatores, vt paullo ante ostendi n. i. At quisquis peccatum incredulitatis finalis committit, et commisit, is non amplius viator est (§. 5. n. 2.). Quocirca Christus est saluator mundi, licet pro incredulitate finali non satisfecerit.

5.) Christus dedit se ipsum pro nobis, vt redimat nos ἀπὸ πάντων ἁμαρτιῶν Tit. II, 14. Bene! Christus nos ab omni ἁμαρτίᾳ redimere voluit et redemit, siue illa sit transgressio legis operum, siue legis fidei transgressio temporaria. Sed πᾶντα ἁμαρτία, inquis, includit etiam transgressionem legis fidei finalem; Ergo ab illa etiam Christus nos redemit. Attende, quid dicas. Duum apostolus dicit: μὴ λατρεύοντας, οὐδὲ ἀπὸ πάντων ἀνομίας, καὶ καθαρίζοντας ταῖς περιστοῖς, ζηλατὸν καλῶν ἔργων, non arbitror, te putare, quod alias Christus redimat, alias purificet. Itaque Paulus cum eodem obiecto personali: οὐδὲ et redemptionem et purificationem ad bona opera coniungit ita, vt vox οὐδὲ in posteriori propositione suppleri, et verba: λατρεύοντος, ζηλατὸν καλῶν ἔργων, tan-quam adpositio, spectari debeant. Quoniam igitur in viatoribus qui-dem una cum redemptione purificatio ad studium bonorum operum locum habet, in iis autem, qui non amplius viatores sunt, purificatio nulla est: vox οὐδὲ in propositione priore significat nos viatores, vt sensu sit: Christus nos viatores redemit ab omni iniquitate. Vides iam, hoc-
ce effatum nil probare aduersus me. Qui enim ad ultimum vita mo-

mentum perseverat in *ārisis*, sive ex hac vita discedit, vel discessit, ille non pertinet ad nos viatores (§. 5.). Ergo Christum redemisse eiusmodi hominem, ut tales, vel, quod idem valet, pro *ārisis* finali Christum satisfecisse, illud hic locus probat neutiquam. Audi etiam hoc. Quicunque commissae *ārisis* finalis reus est, ille est damnatus. Quare si Christus pro *ārisis* finali satisfecisse recte dicitur, quia nos redemit ab omni iniustitia, satisfecit Christus pro damnatis, ut talibus. Verum pro damnatis, ut talibus, a Christo satisfactionem præsticam fuisse, dices falso, quia hæc per fidem apprehendenda est, sed fides ad damnatos, ut tales, non pertinet (Theol. Rev. Tom. II. §. 833.). Itaque Christus pro hominibus viatoribus tantum, non vero pro finaliter incredulis, ut talibus, præstit satisfactionem. Non piget adhuc unicum addere. Cuius peccati non rei sumus, ab eo Christus non potuit nos redimere. Sed peccati *ārisis* finalis nos viatores non rei sumus, quoniam in momento mortis demum illud committitur, si committitur. Ergo a peccato *ārisis* finalis Christus non potuit nos redimere. Contra qui, ad ultimum usque halitum Christum salutarem negligentes vel repudiantes, huius peccati rei sunt, pro his, ut talibus, etiam non satisfecit Christus, quia non amplius pertinent ad nos viatores, in quibus redemptio Christi versatur (§. 5.). Quare dum, teste Paulo, Christus nos viatores ab omni iniquitate redemit, non aliæ iniquitates, quam quæ sunt viatorum, scilicet transgressio legis operum, et transgressio temporaria legis fidei, possunt intelligi, non transgressio legis fidei finalis, quia qui hoc commisit peccatum, is non amplius viator, sed damnatus est. Quibus sic se habentibus, Christum pro *ārisis* finali satisfecisse, adparet ex hoc effato neutiquam. Denique

6.) *Deus coniecit peccata omnium nostrum in Christum* Ies. LIII. 6. Credo hoc ex animo. An autem fluit inde, Christum pro *ārisis* finali quoque satisfecisse? Propheta dicit: Καὶ οὐκ ἡ πεccatum omnium nostrum. Loquitur igitur pariter de peccatis hominum viatorum, quales nos sumus, non de illis, qui e numero illorum excesserunt. Sed ut paullo ante dixi, quicunque committit peccatum *ārisis* finalis, is non amplius viator est. Ergo pro *ārisis* finali Christum satisfecisse, ex hoc dicto non constat. Quemadmodum igitur omnium locorum excitatorum ne unicus quidem est, qui, quod probandum erat contra me, probet, quemque non liceret cum sententia mea conciliare: ita etiam verba Librorum symb: A. Cap. 25. Ed. Rech. *Patio Christi fuit oblatio et satis-*

*satisfactio non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquo peccatis, excitata aduersus me p. 45, optime cum sententia mea conspirant. Nam pariter omnia reliqua peccata viatorum intelligi, docent verba sequentia: ut ad Hebreos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel, ad homines viatores quidem, non vero ad damnatos, in quibus est, qui peccatum *anxiæ* finalis commisit, pertinentia. Damnati enim, ut tales, per oblationem Christi non satisficantur; quod admitti, arbitror.*

X.

Sequitur argumentum Engestremianum alterum, quod se habebat ita:

Si nulla datur lex fidei proprie sic dicta, qua legi operum opponitur, sequitur, ut pro peccato finalis incredulitatis etiam Christus satisfactionem præstiterit; Sed verum est prius.

Ergo etiam posteriorius (§. 7.).

Quoniam vero iure meo antecedens, postquam irriti conatus et vani impetus fuerunt, quibus destrui debuit lex fidei, a lege operum diueria (Specim. IV. §. 7. seqq.), consequens simile esse ædibus labentibus, nihilque hoc argumentum facere ad sententiam meam infirmandam, in aperto est.

XI.

Membro eodem concludit Suecus noster:

ad tertium.

Si incredulitas, utpote transgressio legis moralis, ab hac ipsa lege moralis vel operum arguitur et damnatur, sequitur, ut pro finali incredulitate satisfactio præstata sit a Christo.

Sed verum est prius. E. (§. 7.).

Ait hoc argumentum non minus, quam superiora, aërem ferit. Quod enim ad antecedens attinet, primo incredulitas proprie est transgressio legis fidei, quia in lege fidei fides præcepta est (Spec. IV. §. 7. n. 8.). Deinde incredulitatem a lege moralis vel operum argui atque damnari, id non amplius concedo, quam quatenus id fit indirecte (Spec. IV. §. 15. 8. 18.). Eatenu autem quamvis concedam antecedens, per nego tamen consequentiam syllogismi, nec tantam autoritatem Engestremianam, ut ea me ad credendum moueat, reperio. Accipe rationem recte a me negatae consequentiae in exemplo simili. Ius naturæ reprehendit debito-

bitorem, qui solutionem ari*s alieni*, pro se a fide eiuslo*r*e factam, adprehendere recusat. Ergo fideiussor intercedens soluit etiam pro eo, quod debitor, solutionem pro se præstitam, ut præstitam pro se, habere, recuset constanter. Horum posterius qui e priori sequi, censet, huic fungum pro cerebro esse, arbitreris.

XII.

ad quartum Eodem hoc membro legitur etiam argumentum hoc:

Si vnumquodque peccatum tollitur satisfactione Christi actua et passiva, sequitur, ut Christus pro finali incredulitate satisfecit;

Sed verum est prius; E. et posteriorius (§. 7.).

Heic vero in antecedente duplex error est. Primo enim ex falsa hypothesi dicitur, Christi satisfactione actua tolli peccatum quodlibet, quia passiva potius satisfactio Christi pro tollendo peccatorum reatu facta est (Spec. V. §. 2. 3.). Deinde antecedente formato ita: *Si vnumquodque peccatum tollitur satisfactione Christi passiva*, respondet ut in primo syllogismo (§. 8.). Nimirum satisfactione Christi passiva tollitur vnumquodque peccatum hominum viatorum. Tollitur igitur per istam non solum omnis transgressio legis operum, sed etiam transgressio legis fidei temporaria. Sed incredulitas finalis est peccatum, quod qui committit, et commisit, is non amplius viator est (§. 5.). Vnde satisfactione Christi passiva illud sublatum dici nequit; sicque consequentia argumenti claudicat.

XIII.

ad quintum. Denique ultimum argumentum se habet ita:

Si rō finale non ingreditur essentiam peccati incredulitatis, sequitur, ut Christus pro incredulitate finali satisfecerit;

Sed verum est prius, quia rō finale est tantum connotatio temporis, quo se articula exscrit;

E. etiam posteriorius (§. 7.).

At nulli superiorum cedit hoc infirmitate. Quod enim ad antecedens

dens

dens attinet, rō finale non quidem essentiam incredulitatis generatim spectatae, attamen speciatim essentiam incredulitatis finalis ingreditur (Spec. I. §. 8.). Et quid inde? An vlla est consequentia: rō finale non ingreditur essentiam incredulitatis generatim spectatae; E. Christus pro incredulitate finali satisfecit? Est, inquis, quia Christus satisfecit pro incredulitate omni. Sed hoc est in quæstione, et a me negatur, neque adeo tanquam principium indubium aduersus me potest adsumi. Cur igitur Lector obruitur copia argumentorum, quorum quodlibet secundum regulas Logicas lustratum claudicat? Dolendum sane est, eiusmodi Viros in doctrinis religionis difficilioribus ad sententiam pronunciandam, et ad rectiora alias docendos, quin etiam ad recte sentientes in suspicionem adducendos et damnandos, se ecclesiæ obtrudere, quorum acies mentis in vi argumentorum ponderanda tam cito hebeant, quique sensum effatorum Scripturæ, ad quæ prouocant, et in quibus præsidium querunt, non recte adsequuntur.

SERENISSIMVS CIVIS
XIV.

Quo minus vero inchoatam disceptationis telam persequar, ab instituto me reuocat argumentum scribendi sublimius, quod Specimi*n* præsenti occasionem subministravit. Proximus dies vnde uicesimus mensis Aprilis, quem, PRINCIPE nato, sollemnem festumque olim iure suo Gymnasium obiit, tristem proh! iam in nobis refricat memoriam diei vnde uicesimi mensis Ianuarii, quo idem

Mors diuī
Principis
lugenda.

PRINCEPS SERENISSIMVS CELSISSIMVS QVE
ERNESTVS AVGUSTVS
DVX SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM ANGARIÆ WEST-
PHALIÆ RELIQVA,
SACRAE QVONDAM CÆSAREÆ ET CATHOLICÆ MAIESTATIS
EQVITATVS VNIVERSI DVX CVM IMPERIO
RELIQVA

Iam diuus, placidissima quidem, sed inopinata morte de vita magnauit, STIRPEM VINARIENSEM SERENISSIMAM capite, ciuium vniuersitatem parente publico, Gymnasium nutritore prouido orbum relinqens. Ita vero iterum, dum bona noua indicere

adgredior, lugendi necesitas mihi imponitur! Cum enim ante annum spatium obitus MATRIS PVBLICÆ planctus, singultusque expresserit (Spec. III. §. 2.), iam grauius inflatum vulnus sentimus, doleamus, lacrymamus. Perdidimus enim PRINCIPEM, toto ambitu quidem eorum, quæ singula alias magnos atque memorabiles efficiunt Principes, insignem maxime, nobis vero hoc præcipue nomine amandum, colendum, lugendum, quod in omni negotiorum principalium distractione Gymnasium scholarisque ad peculiarem gratiam et curam suam pertinere, existimatuerit adeo, ut post alias laudes, diuum ERNESTVM AVGVSTVM Principem scholarum cura magnum demonstrandi, plura argumenta, quam scriptoris limites capiunt artati, suppetant.

XV.

*Dies natalis
Serenissimi
Principis.*

Fit autem, nescio quo, fato, ut qui tristis videbatur Aprilis, is nouam gaudendi materiam afferat. Ante hos enim XLIX. annos die XXV. Aprilis auspicato in lucem editus est

SERENISSIMVS CELSISSIMVSQVE PRINCEPS

F R I D E R I C V S

DVX SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ LANDGRAVIS THVRINGIÆ MARCHIO MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMES HENNEBERGICVS COMES MARCÆ ET RAVENSBERGÆ DYNASTA RAVENSTEINII ET TONNÆ REL.

qui tribus abhinc mensibus tutelam

SERENISSIMI JVVENTVTIS PRINCIPIS

ERNESTI AVGVSTI CONSTANTINI

DVCIS SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM ANGARIÆ WESTPHALIÆ LANDGRAVI THVRINGIÆ MARCHIONIS MISNIAE COMITIS PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGICI COMITIS MARCÆ ET RAVENSBERGÆ DYNASTAE RAVENSTEINII CET.

pari

pariter atque amborum principatum administrationem suscepit, sique egit adhuc, ut nouum imperium nouam felicitatem multis attulerit. Cum igitur ad publicam gaudii testificationem symbolam non conferre, nefas Musis visum sit, iuvenes, studiis liberalibus et morum elegantia ornamentissimi, presto sunt, qui officii scholastici interpretes esse, simulque valedicere Mæcenatibus, Amicis, Gymnasio, constituerunt.

XVI.

Cum igitur hyeme præterlapsa in acroasis astronomicis de planetarum in celo natura, motu et systemate disputauerim, de dicendi argumentis dispiciens, eadem doctrina nec ingenio oratorum sublimior, nec doctorum virorum auribus indigna visa est. Itaque

I. CAROLVS FRIDERICVS HÜLLE

Zimmera-Vinariensis

de sole, corporum cælestium principe, disputabit, nonque solis ortum in terris Vinariensis et Isenacensibus veneratus, diem natalem SERENISSIMO PRINCIPI gratulabitur humillime, vtque summus rerum humanarum arbiter Ei post omne aliud principalis felicitatis genas felix imperium concedat, sub imperio autem nostro noua salute omnem ciuium vniuersitatem beat, precabitur. Deinde

II. JOHANNES CASPARVS REINHARDT

Vinariensis

de luna.

III. IOHANNES CHRISTOPH HOENE

Vinariensis

de Venere, dicent; sed

T.

V.

IV. JOHANNES GUILIELMVS ERDMANN

Synderstadio-Vinariensis,

lunæ et omnibus reliquis planetis suos a Deo incolas datos esse, tuebitur. Tum

V. ERNESTVS GVNTHERVVS RÜCKER

Vinariensis

dē Mercurio dissertabit, simulque suo et commilitonum nomine pro insigni mensæ gratuitæ beneficio gratias aget humillimas. Tandem

VI. AVGVSTINVS HENRICVS IACOBVS

MÆTCKE

Harzgeroda - Anhaltinus

de Ioue, sed

VII. CAROLVS FRIDERICVS IAHR

Dresdensis (*)

*) Nolo autem, emulationis in alijs excitandæ caussa, reticere, quosdam oratorum nostrorum alio tempore etiam cathedram scholasticam cum laude animasse; id quod in Illustrationis huius apologeticæ specimine primo de oratorum præsentium septimo, in quarto specimine vero de primo, secundo, sed in utroque dictorum speciminum de sexto, Lector inueniet. De cetero noli mirari, Lector, in serie planetarum enarrata abesse Martem. Etenim IOHANNEM FRIDERICVM HVFELAND, Tenstadio-Thuringum, ornatissimum iurenem, qui alio quoque tempore cum laude declamauit (Specim. I. §. 21.), iam vero Martem bene nato carmine heroico caneré, eumque in cælo saluere iubere, modo in terra incolumes tutosque nos sinat esse, instituerat, negotia domestica præter expectationem auocarunt.

de

de Saturno, disputare, sicutque harum stellarum, quilibet sua, materiam, figuram, motum aliaque memorabilia enarrare, gestiunt. Quemadmodum vero VOS, VIRI ILLVSTRES, EXCELLENTISSIMI, MAGNIFICE, SVMME MAXIMEQVE REVERENDI, CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, DOCTISSIMI, vt oratoribus nostris scholasticis, primo quidem et septimo oratione latina, secundo, sexto Gallica, tertio Græca, quarto Germanica, quinto versibus Græcis, videntibus, benevolas aures commonetis, istiusque caussa eas hora IX. matutina præsentia Vestræ Gymnatum illuminetis, qua possum atque debeo obseruantia arque humanitate, rogo, splendorem præsentiae Vestræ optimum virtutis calcar addere iuuenibus, eosque ad imitandam præstantiam, quam intuentur in VOBIS, incitare, optime intelligens: ita Candidatos Academiæ suprema adhuc voce horrort, vt, veluti Cato olim Græcas litteras senex sic audeat arripuit, quasi diurnam scim explorare cupiens, vt ea ipsa illi nota essent, quibus postea exemplis vrebatur (Cic. de Sen. c. 8.), sic ipso iuvenes, post bene iacta cognitionis fundamenta, ad diuinæ atque humanæ sapientiæ studia animatum intentum, tanquam arcum, gerant, et in iuuentutis æstate fructus, ipsis olim aliisque profuturos, colligant, sapientiæ initium in timore Domini situm esse, memorares. Ita enim si sibi ipsis non desint (non defuturos autem, confido), nec Deum defuturum ipsis, sed larga virtutis præmia suo tempore datum esse, polliceor.

cum in uitæ
tione.

XVII.

Priusquam autem sermoni finem imponam, liceat TE, PRINCEPS EXCELSISSIME INDVLGENTISSIME, qua fieri potest mentis submissione atque reverentia, alloqui. Ex quo gubernacula reipublicæ in terris nostris suscepisti, nouum imperium mentes ciuium ad usum indulgentiæ TVÆ prouocauit atque extulit. Amantissimum igitur populi Viniensis cum TE comperieramus, quid obstat, quo minus, qua adclamatione olim Plinius Traianum, optimum principem (Paneg. c. 74.), eadem TE

Votum.

ego

ego prosequar: Ita TE Deus amer, quoniam admodum TV nos! Scilicet
ut omnem votorum, ad fætum mentis prolixissimorum, ambitum in artum
contraham, opto, DOMINE, ut plurimos alios natales pariter atque
hunc quam felicissimos agas, gubernaculaque principatus Vinariensis
et Isenacensis tenens, aeterna laude florentem STIRPIS GOTHA-
NÆ gloriam, et in columnis et fortis, aliis super alia operibus sapientiae
et clementiae augeras. Vniuersitatis enim, TE PRINCIPE, felici-
tem influere in felicitatem et incrementum Gymnasi, confido.

P.P. VINARIAE PRIDIE NATALEM SERENISSIMI, DIE
XXIV. APRIL. MDCCXLIX.




272
273
274
275
276
277
278
279
280
281
282
283
284
285
286
287
288
289
290
291
292
293
294
295
296
297
298
299
300
301
302
303
304
305
306
307
308
309
310
311
312
313
314
315
316
317
318
319
320
321
322
323
324
325
326
327
328
329
330
331
332
333
334
335
336
337
338
339
340
341
342
343
344
345
346
347
348
349
350
351
352
353
354
355
356
357
358
359
360
361
362
363
364
365
366
367
368
369
370
371
372
373
374
375
376
377
378
379
380
381
382
383
384
385
386
387
388
389
390
391
392
393
394
395
396
397
398
399
400
401
402
403
404
405
406
407
408
409
410
411
412
413
414
415
416
417
418
419
420
421
422
423
424
425
426
427
428
429
430
431
432
433
434
435
436
437
438
439
440
441
442
443
444
445
446
447
448
449
450
451
452
453
454
455
456
457
458
459
460
461
462
463
464
465
466
467
468
469
470
471
472
473
474
475
476
477
478
479
480
481
482
483
484
485
486
487
488
489
490
491
492
493
494
495
496
497
498
499
500
501
502
503
504
505
506
507
508
509
510
511
512
513
514
515
516
517
518
519
520
521
522
523
524
525
526
527
528
529
530
531
532
533
534
535
536
537
538
539
540
541
542
543
544
545
546
547
548
549
550
551
552
553
554
555
556
557
558
559
559
560
561
562
563
564
565
566
567
568
569
569
570
571
572
573
574
575
576
577
578
579
579
580
581
582
583
584
585
586
587
588
589
589
590
591
592
593
594
595
596
597
598
599
599
600
601
602
603
604
605
606
607
608
609
609
610
611
612
613
614
615
616
617
618
619
619
620
621
622
623
624
625
626
627
628
629
629
630
631
632
633
634
635
636
637
638
639
639
640
641
642
643
644
645
646
647
648
649
649
650
651
652
653
654
655
656
657
658
659
659
660
661
662
663
664
665
666
667
668
669
669
670
671
672
673
674
675
676
677
678
679
679
680
681
682
683
684
685
686
687
688
689
689
690
691
692
693
694
695
696
697
698
698
699
699
700
701
702
703
704
705
706
707
708
709
709
710
711
712
713
714
715
716
717
718
719
719
720
721
722
723
724
725
726
727
728
729
729
730
731
732
733
734
735
736
737
738
739
739
740
741
742
743
744
745
746
747
748
749
749
750
751
752
753
754
755
756
757
758
759
759
760
761
762
763
764
765
766
767
768
769
769
770
771
772
773
774
775
776
777
778
779
779
780
781
782
783
784
785
786
787
787
788
789
789
790
791
792
793
794
795
795
796
797
798
799
799
800
801
802
803
804
805
806
807
808
809
809
810
811
812
813
814
815
816
817
818
819
819
820
821
822
823
824
825
826
827
828
829
829
830
831
832
833
834
835
836
837
838
839
839
840
841
842
843
844
845
846
847
848
849
849
850
851
852
853
854
855
856
857
858
859
859
860
861
862
863
864
865
866
867
868
869
869
870
871
872
873
874
875
876
877
878
879
879
880
881
882
883
884
885
886
887
888
889
889
890
891
892
893
894
895
895
896
897
898
898
899
899
900
901
902
903
904
905
906
907
908
909
909
910
911
912
913
914
915
916
917
918
919
919
920
921
922
923
924
925
926
927
928
929
929
930
931
932
933
934
935
936
937
938
939
939
940
941
942
943
944
945
946
947
948
949
949
950
951
952
953
954
955
956
957
958
959
959
960
961
962
963
964
965
966
967
968
969
969
970
971
972
973
974
975
976
977
978
979
979
980
981
982
983
984
985
986
987
988
988
989
989
990
991
992
993
994
995
995
996
997
998
998
999
999
1000

Index.

- 1.) Hafens de Tribus scitu creditibus recessariis. P. I.
- 2.) ——— P. II.
- 3.) ——— P. III.
- 4.) Lampe de Inspiratione.
- 5.) Nonnen de Donis Spiritus S. Extraordinariis P. I.
- 6.) ——— P. II. (Rel. VI.) Tom. II Theolog.
- 7.) ——— de Suribz Satanae veris & pratenfis in geny humarum.
- 8.) Kirchhoff de Christo homine obligatione legum div. anteced. & extera soluto.
- 9.) Nonnen de Summo Dominio Secundoris Gualtati in Universum.
- 10.) Scheele de Proflantia Salutis humana per Christum parta pra felicitate concreata in statu inter.
- 11.) Nonnen de Tide in Nomem Domini nostri, Iesu Christi; filii Eci.
- 12.) Corporis Illustrationes apologetica Peccati in Scriptura Sanctum Specimen I
- 13.) ——— Spec. II
- 14.) ——— Spec. III
- 15.) ——— Spec. IV
- 16.) ——— Spec. V
- 17.) ——— Spec. VI
- 18.) ——— Spec. VII
- 19.) Observationum contra Corporis sententiam de Peccato in Sp. S. Pars I.
- 20.) Schwarz de Senium in dijudicanda Transubstantiatione Missatio Testimonia.
- 21.) Nonnen de Auta Beatorum gloria post consummationem Mediatis.
- 22.) Lampe de Poenarum Aeternitate. Pars dogmatica.
- 23.) ——— Pars elenchatica.
- 24.) Nonnen de Rebus Tabernaculi typis coelestium.
- 25.) Camerarius de Lucta precum.
- 26.) Meier de Discrimine ejus quod Naturale & Morale dicitur in Theologia.
- 27.) Serpilius Octo Theologorum.
- 28.) Zacharia de Fraterrilate Christiana.
- 29.) Eduig de Projudicis practicis Christianismo noxiis.
- 30.) bon Metzger de Prudentia rupturientium gamica.





dissertatus publicè. Notus
iudiciorum est clamor, non nisi
ingredi natos à Lutheri temporib⁹
antum Theologos, manifesto
iæ indicio. Sed nux illa nix, &
est, hominum vana ac profana
• Retorqvere eqvidem, proprio-
ectantes gladiò jugulare liceret,
I ad ipsorummet summorum
provocare Exempla, v. g. Sixti V,
qvondam Pastor, pastoratum
sè administrâsse prædicatur ab
riis. Ast nolumus. Habuere
Protestantium, si gloriari fas
Pontifica Doctores Celsissimo
emmate natos. *Lutherana GE-*
Inbaltinum Principem, cuius pro-
nes Sacræ, vitamqve verè san-
oribus Gallorum, qvorundam
us oppositam, lege sis apud D.
um, Theodorum de Bry, & Jo-
sardum, conferqve pulcherri-
mi Melanchthonis Encomium,
huic Theologorum Principi
pa-